



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Brevis Expositio Propositionum Damnatarum**

**Didacus <ab Aragonia>**

**Venetiis, 1728**

Indulgentia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42653**

sistunt in imaginibus, sed referentur ad exemplaria, quæ repræsentant.

346. Colligitur 3. Imagines, ac simulacra eodem cultu adorari, ac prototypum, & cum protoypo simul coadorari, ita ut adoratio absolutè, & ratione sui feratur ad prototypum, & solùm respectivè ad imaginem; propterea imago Sanctorum adoratur adoratione Dulix propria fervorum Dei; imago B. M. V. adoratione Hyperdulix, quia Sanctissima Virgo servis Dei longissimè præstat; imago Christi adoratione latriæ debita Divinitati, cum in Christo idem sit utriusque naturæ divinæ, & humanæ suppositum, ad quod indivisibiliter dirigitur adoratio; Crux etiam adoratione latriæ adoratur, quia Crucifixum exprimit, tanquam signum divini sui erga homines amoris, ac triumphi de peccato, ac morte reportati.

347. Colligitur ultimo, quòd dictum est, de imaginibus, & simulacris, dicendum pariter esse de sacris Reliquiis, quæ pariter venerandæ sunt cultu consono Personæ, quam repræsentant, ut constat, ex *Trident. Sess. 23. cap. 3.*

## INDULGENTIA.

348. **Q**Uæritur. An indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ?

Resp. Opinionem affirmativam esse expressè ad Alexandro VII. damnatam cum propos. 37. & ab Innocentio XI. in decreto de apocryphis indulgentiis declarante indulgentias concessas ante *Breve Pauli V. incip. Romanus Pontifex &c. editum die 23. Maii*

1606. personis Regularibus quarumcumque Religionum, & ordinum, etiam Mendicantium, nisi fuerint deinde Romani Pontificis auctoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius esse roboris, & momenti; hinc constat, per generalem confirmationem privilegiorum, indultorum, & gratiarum sine speciali mentione; & expressione indulgentiarum; non innovari, nec confirmari indulgentias revocatas, ratio est quia juxta *reg. 81. Jur. in 6. in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.*

346. Notandum tamen, in revocatione indulgentiarum facta à Paulo V. non esse revocatas pro Regularibus 5. indulgentias, olim concessas omnibus Christianis, qualis est v. gr. indulgentia plenaria ab Adriano VI. concessa recitantibus, *Angelus Domini*, ad pulsus campanæ post solis occasum, cum non debeant Regulares in hoc esse deterioris conditionis, quam alii.

350. Neque 2. Indulgentias concessas Cōfraternitatibus Rosarii, Carmelitarum, Cordigerorum, Centuratorum, & similium.

351. Neque 3. Indulgentias Regularibus concessas pro Animabus Purgatorii, prout Pontifex declaravit, sicut etiam anno Jubilæi non suspenduntur indulgentiæ pro Defunctis.

352. Neque 4. Indulgentiam à Clement. VIII. concessam parentibus Regularium in Purgatorio existentibus, si pro illis Regularis celebret, cum hæc non sit concessa Regularibus, sed eorum parentibus.

353. Neque 5. Indulgentias concessas olim pro secularibus Ecclesiis Regularium visitantibus, eas enim lucrari etiam possunt

Re-

Regulares, utpotè omnibus Christifidelibus, non solis Regularibus concessas; præfertim quia indulgentiæ istæ locales potius sunt quàm personale, indulgentiæ autem locales, etiamsi pro solis Regularibus concessæ, non censentur revocatæ *ex declaratione S. Congreg. anno 1615. apud Lantuscum in Theatro Regularium*, idcirco non censetur revocata indulgentia illa, seu indulgentiarum cumulus, quem concessit Leo X. Fratribus S. Francisci, videlicet, quod si in propriis Ecclesiis recitent sex Pater, Ave, & Gloria Patri lucrentur omnes indulgentias concessas Ecclesiis Romanis, Hierusalem, Compostellæ, & Portiunculæ, quæ hujusmodi indulgentiæ non sunt personales, sed locales.

354. Quæritur. Quot, & quænam sint indulgentiæ de novo concessæ Regularibus a Paulo V. quando antiquas in dicto decreto revocavit?

Resp. Esse sequentes, videlicet: indulgentiam plenariam pro die ingressus in Religionem; nec non pro die, quo emittitur professio Religiosa in articulo mortis, invocato Jesu nomine ore, vel corde; in fevo principali proprii Ordinis; eo die, quo quis primam Missam celebrat, quam indulgentia etiam alii Religiosi lucrantur, si eidem Missæ intersint, aut eo die celebrent vel communicent; iis etiam, qui per decem dies exercitiis spiritualibus vacant; visitantibus verò propriam Ecclesiam concessit indulgentias Ecclesiarum Urbis, & stationum, aliasque hujusmodi.